



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-542738-p0002-0

DFG

13074
58.

N^o 21

4

JOH. BRUNNEMANNI JCTI

DISSERTATIONUM

1681, 4

IRENICO-POLITICARUM,

TRAH ORGIO HART

SEXTA

De

RATIONE TRA-
CTANDI PACIS NE-
GOTIA,

PRÆSIDE

JOH. CHRISTOPH. BECMANO,
D. & HISTOR. PROF. ORDIN.


Publice Repetita

â

QVIRINO HARTMANNO Schachter
LIPSIENSI.

In Auditorio Majori Collegii Philosophici

Ad d. XXII. APRIL. A. MDCLXXXI.



Francofurti ad Viadrum,

Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

5

JOH. BRUNNENIANI OTI
V I R O
PraeNobilissimo, Amplissimo atq; Ex-
cellentissimo
DN. CHRISTOPHORO HART-
MANNO SCHACHERO,

JCto Celeberrimo, Ampliss. Facult. Jurid. Lips. Assess-
sori gravissimo, ut & Cur. Prov. Elect. & Ducal. suprem.
& Consistorii ibid. Advocato Ordinario,

Parenti suo & viternum colendo,

PRÆSIDI

Theses hasce

JOH. CHRISTOPH. BREMANO

D. & HISTOR. PROF. ORDIN.

In

PUBLICO REBOTINA

Filialis observantie testi-

monium

LIPSINCI

in Quatuorviro Magno Colloquio Publico

ad XXXII April. A. MDCLXXXII.

offert

Theses CHRISTOPHORI SEITTERI

RESPONDENS.



ANNEXA.

III.

Numerosa Proles Familiis quidem incommoda esse potest, sed
Reipublica est Benedictio.

II.

Mos lugendi natam Prolem, quem priscæ Gentes quædam habu-
isse dicuntur, non laudis argumentum, sed signum Ignaviae fuit.

III.

Luctus Principis Epiri ob natum Primogenitum apud. Bocca-
lin. Cent. I. Relat. 5. 6. non Prudentia Politica, sed Desperationis
signum fuit.

IV.

Liberi Regii à Parentibus exheredari, adeoq; Regno excludi
nequeunt: Parentes enim non sunt Proprietarii Regnorum.

V.

Nec Regna proprie in hereditate esse dici possunt; Populus enim
jura sua non in personam aliquam sea totam Familiam transtu-
lit. Quotquot ergo succeedunt, jure Familias Regnum capiunt, non
jure ab Antecessore accepto. Et Filii Regii licet jus suum per Paren-
tem acceperint, non tamen a Parente id acceperunt.

VI.

Quorsum ergo Testamenta à Regibus condita? Resp. Vim
commendationis magis apud Populum habere, quam vera Disposi-
tionis aut alienationis. Grot. I. III. XIII.

VII.

Sed nec Reges Usufructuarii Regnorum vere dici possunt; U-
susfructus enim rerum est; At Regna proprie personarum sunt, re-
rum vero demum propter personas. Ac licet id in Regnis Patrimo-
nialibus

zialibus se secus habeat, cogitandum tamen est, Regna Patrimo-
nialia potius amplas possessiones Bonorum esse, Regnorum nomine
appellatas, quam proprie sic dicta Regna: Quia in talibus Regnis
primo ac per se personarum non babetur ratio. Breviter: Termini
Proprietatis, & Ususfructus potius Termini juris privati sunt, quam
Statui publico adeoq; Regnis applicabiles.

VIII.

Q. An Liberi, quorum Parentes Bonis suis exciderunt, ja-
stam causam excipiendi habeant: Se tanquam innocentes peccata
Parentum suorum luere non posse? Resp. N. Quin Bona ista illorum
futura non erant, nisi a Parentibus ad ultimum spiritum essent
conservata. Grot. II. XXI. X. 2.

.IX.

-530 Interim verum est Liberos propter Parentes puniri non posse;
Pæne enim sunt merita, adeoq; personam merentis non excedunt.

X

At Dignatum Patriarum capaces sunt ; Premia enim & bo-
nores sunt actus benefici, quorum talis est materia, ut in quemvis
conferri sine injuria posse ; Pœnae non item. Grot. II. XXI. X. 8.

-S(O)S-

לְזִקְנֵתָנוּ בְּתַרְבּוֹתָנוּ. גָּלוֹתֵינוּ בְּמִזְרָחָנוּ
כְּמִזְרָחֵנוּ בְּמִזְרָחָנוּ. וְבְמִזְרָחֵנוּ
וְבְמִזְרָחֵנוּ בְּמִזְרָחָנוּ. וְבְמִזְרָחֵנוּ



(I)

DISSERAT**A**TIO VI.
RATIONE TRACTANDI PACIS
NEGOCIA.

RESP. QVIRINO HARTMANNO SCHACHERO,
Lipsiensi.

Superioribus duabus Disputationibus de Sponsionibus & Induciis, tanquam actibus, Pacificationis negotium precedentibus & promoventibus, actum est. Quorum cum adhuc alii sint reliqui, de his, uti etiam de ipsa Pacis tractanda ratione in hac Dissertatione Sexta agendum erit.

THESES I.

Pax itaq; interdum à nobis hosti offerenda (a) ex Consilio tamen Ducum quorundam & Consiliariorum. (b) Sed clam militibus, (c) & cautè (d) priusq; animus hostium per vestigandus (e) nec statim offerendæ conditions (f) interdum preces adhibendæ (g) aut Hostium ministri cautè conciliandi (h) & omnibus modis Pax persuadenda.

(a) Præsertim si æquus adhuc Mars sit: hoc enim, diente Cæsare de Bello Civili lib. 3. c. 10. unum tempus est de Pace agendi, dum sibi uterq; confidit, & pares ambo videntur. Temere enim in acie versari, & manu cum hoste configere immane quid & belluarum simile est. Merito igitur ridendi Athenienses, qui nunquam nisi pullati malisq; victi pacem inibant. (b) Credunt quidem pleriq; militibus ingenis subtilitatem deesse, quia Castrensis Jurisdictio secura & obtusior ac plura manu agens calliditatem fori non exerceat. Tac. in Agr. c. 9. & experientia testatur militaria ingenia plerumque Bellum quam Pacem malle: nihilominus multi inter ipsos Duces reperiuntur togatā prudentia A prædicti,

DISSERTATIO VI. DE

prædicti, & à fundendo sanguine suā naturā alienissimi, cum quibus ut periculorum & commodorum sociis Pacis consilia comunicari æqvum videtur. (c) Tām enim nescire quædam milites quam scire oportet. *Tacit. l. 1. Hist. c. 83.* Parendo potius quam imperia Ducum sciscitando res militares continentur: Militibusarma & animus esse debet; Imperatoriconfiliū & virtutis militum regimen est relinquendum, *idem c. 84.* Omnium enim primum est silentium, ut rem gerendam cum nullo communices, ad quem illa nihil pertinet, sed illis solis, sine quibus ad finem perduci propositum nequit, & his quoq; non antè, quam usu postulante, & necessitate cogaris. Nec lingua tantum silere oportet, sed animo multò magis, ne vultu concepta animo consilia manifestes. *Polyb. l. 9. c. 12.* Verendum etiam, ne, si fama oblatæ Pacis emanet, desperationi & timori illud tribuatur, animumq; milites despondeant. (d) Ne plus justo nos demittere, & Pacem nimis cupere videamur, quod verebatur *Henr. IV. R. G. ap. Thuan. l. 105.* quamvis ejusdem Regis judicio in Bellis civilibus Pacem qui dat, petitq; dando & petendo accipiat, ejusq; potiore eventu conditio sit, qui jure potior est. Inter Regem Carolum VIII. & Sfortiam nunquam dererant clandestina per internuncios de Pace colloquia: tametsi peregrinā spe; tum quod neuter alteri fideret, tum quod uterq; quō suam existimationem tueretur, compositonis desiderium disimularet. *Guicc. l. 2. Hist.* Ita Thraces amicitiam obsequiumq; pollicebantur, si nullo novo onere tentarentur. Sin ut viatis servitium indiceretur, ferrum sibi & juventutem & promptum libertati aut ad mortem animum. *Tac. l. 4. Annal. c. 46.* (e) Quod commodissimè fieri poterit, si literæ à privatis ad privatos scribantur, vel Procerum nomine evulgentur. Ita rem scripto expediri, animumq; hostium hāc ratione pervestigari placuit *Henrico IV.*

RATIONE TRACTANDI PACIS NEGOCIA.

3

co IV. R. G. apud. Tuan. l. 105. vel occasione convivii, cuius rei exemplum habet Guicciard. l. 2. vel aliis modis, quos usus atq; experientia suggeret. (f) Neumeyer citato s̄epius libro c. 5. n. 14. Si enim gratæ sint hosti, metuendum, ne duriorrem postea se præbeat atq; opimiores adhuc conditio- nes nobis extorquere laboret: si verò graviores hosti vide- antur, aversum à Pace animum inde colliget, Belliq; consilia amplectetur. (g) Apud viatos enim plus querimoniarum quām virium est. Tacit. l. 2. Hist. c. 75. Necesitati ideoq; pa- rendum: nam supplices nihil abnuendo s̄epè veniam omni- um accepere: Tac. l. 2. Annal. c. 22. Et viatoris secundæres in miserationem ex irâ vertunt, Salust. A Germanis pretio s̄epè Pax emta, his enim

-- -- ocia vendere semper.

Mos erat, & requiem & fadus mercede pacisci.

Ita saluberrimum fuit consilium Ludouici XI. qui pretio & precibus imminentem atque incumbentem cladem intem- pestivè avertit; Nervus enim rerum gerendarum pecunia est. Sicque & Philippus Macedo arces terè inexpugnabiles auro expugnavit: & Pollio apud Tacitum lib. 12. Annal. cap. 46. occultâ corruptione impellebat milites, ut Pacem flagita- rent, seq; præsidio abituros minitarentur.

II.

Quod si ab hoste offeratur Pax, non abnuenda, (a) sed vi- dendum, an ex animo Pacem hostis expetat (b) an sub hac condi- tione Pax offeratur, si arma ponantur. (c) Audiendi postmodum Legati saltē ab aliis ad id delegatis, & tractandi honeste. (d)

(a) Ita lætior Tiberius, quia Pacem Sapientia firma- verat, quām si Bellum per acies confecisset. Tac. l. 2. Annal. c. 64. E contrario Carolus VIII. Burgundus bis oblatam ab Helvetiis Pacem respuit, bis quoq; prælio victus. Comineus l. 7. Britanni negatâ à Romanis Pace ferro viam in patriam

A 2

inve-



invenerunt. (b) Quemadmodum & vitæ diuturnitate & labore corporis multò sumus inferiores priscis illis hominibus, ita quoq; ab ipsorum fide & integritate permultum nos degeneravimus. Vix enim est, ut providere sibi aliquis diligenter satis possit, quò minus fallatur, inquit *Comin. l. 3.* Ergò hoc sollicitè observandum, quos animos afferant, qui in gratiam redire volunt, an temporibus cedentes, an viciis animis Pacis conditiones amplectantur, ut illi ceu temporum insidiatores caveri possint. *Polyb. l. 3. Hist. c. 12.* (c) Hujus Postulati vel magnitudo Imperii causa est, & animorum generositas, ut apud Romanos, quorum consuetudinem non esse, inquit Cicero apud *Cæsarem l. 5. cap. 41.* ullam accipere ab hoste armato conditionem, si ab armis discedere velint hostes, se adjutore utantur, &c. Vel id fit fallendi studio, ita Hispanus hâc sub conditione Belgis pacem offerebat, fiarces, urbes, munitiones, tormenta, naves armatas regias, apparatus bellicos sine omni dilatione tradarent, *Tbuanus l. 68.* (d) Transferenda huc integra verba *Cominæi, Comment. L. IV.* Qui cum in Galliæ ac Angliæ Regum, Britanniæ sit. Dicis negotiis plurimos inter ipso Nuncios, aliosve privatim, alios vero palâ communicasse dixisser: *Quæ quidem res, ait, non caret suis incommodis & periculo. Sub legationum enī specie multa sâpe pernicioſa tractantur. Quanquam sane fieri non potest, quin & multos subinde mittant Principes & vicissim accipient, sed prudentia singulari & dexteritate quadam opus est in tractandis exterorum legatis. Et principio meo quidem judicio, amicorum legati de quibus nullam habemus male suspicandi causam, liberaliter sunt & honestè tractandi, facta subinde illis potestate conveniendi Principis, ad quém missi sunt, modo sit prudens & honesta species. Nam alioqui præstat eum vel rarius conspici, vel non diu insistere collocazione. Ad quam cum descendit, provideri debet, ut sit eleganter vestitus, & de iis, quæ pronunciari & responderi oportet, edocetus, & mox revocetur à congreſsu. Nec enim diuturna est Principum benevolentia. Cum autem vel publici vel privati veniunt ab aliquo Principe parum amico, tametsi*

metsi periculum est in eâ re non leve; Excipiendi tamen sunt non incommode, & destinandi aliquot idonei homines à quibus tractentur. Hoc enim ad honestatem pertinet, ac simul eo confert, ut quid agant, & quibuscum loquantur, & quos habeant sibi familiares, cognoscatur: nec id modò, verum etiam, ut homines leves atq; seditiosi non habeant ad ipsos aditum. Hactenus *Cominæus* sit. L. IV. Trahendumque ad posteriora ista Venetorum exemplum, qui cum missus a Maximiliano I. Legatus suspectus ipsis esset, custodes blando sociorum nomine ipsis adjunxerunt, impedientes nequem injussu Patrum alloqui posset. *Bemb. Hist. Ven.* L. VII. Immo hodie Patricii Veneti Legatos ad Remp. nec colunt, nec audiunt, nec eos quidem, quos alias intimos habent & familiares, sed publice missos publice tantum solent audire. *Zevec. ad Flor.* L. II. cap. VI. Concludetq; *Cominæus* eodem Libro: *Et quoniam periculi plenum est babere domi suæ hostem, sua serim primo quoq; tempore ejusmodi Legatos dimitti, verum ita tamen, nequam habeant occasionem de inhospitalitate conquerendi.*

III.

Ablegentur Legati: (a) Princeps autem in vicino potest subsistere loco, (b) & danda Legatis mandata plena quidem, limitata tamen, raro libera. (c) Sed mittendi plures: petendusq; Legatis salvus conductus (d) quibus nonnunquam & datis Obsidibus cavitur. (e) Quod si autem Principes ipsi aut Imperatores convenire velint, certæ cautiones adhibenda (f) & fiat armorum interstitium. (g)

(a) Loquetur iterum *Cominæus* dicto Libro: *Sed ne Bello quidem exorto, sunt intermittæ pacis rationes, aut repudiandi legati, verum audiendi sunt omnes, ac invicem ad hostem mittendi, iisq; mandandum, ut diligentissime observent, quid quoq; tempore geratur, qui cum quibus colloquuntur. Crebro enim mittendum est, etiam si hostis jubeat abstinere deinceps, & commeatu prohibeat. Nec enim ullus, quantumvis providus & fidus explorator, facultatem habere potest, tam multa cognoscendi, quam ejusmodi Legati, qui cum sunt unus & alter, aut etiam plures, fieri non potest, quin aliquid odorentur. Nam, qui sunt prudentiores Principes, id*

DISSE^TRAT^O VI. DE

operam dant, ut etiam apud adversarios habeant quosdam à se non alienos. Verum, si quis tam frequentes mittat internuncios, futurum est, dicat aliquis, ut hostis fiat insolentior. Atqui in eo sane nihil est mali, & interea de ipsis rationibus ac Consillis cognoscetur semper aliquid. Et licet eandem rationem hostis instituat, ut modo dixi, & suos invicem mittat: Non tamen idcirco desistendum est, & vel ob hanc solam causam immorandum est Legationibus, ut varia multaq; cognoscantur. Huc etiam accedit, quod non omnes aequè sunt ingeniosi: Neq; parem semper habent rerum usum, & quo quisq; prudentior est in ejusmodi Tractationibus, eo majori cum fructu & honore in iis versatur. Quod ut clarius intelligi possit, exempli causa quiddam sum dicturus. Pactio nulla facta fuit unquam inter Gallos & Anglos, in qua non ingenii vi & acrimonia Galli præstiterint: Adeoq; proverbio dicitur apud Anglos, (quod ipsi aliquando mibi in nerum tractatione recitarunt.) Quoties cum Gallis prælio concertarint, videntes se plerumq; fuisse, quoties vero cum illis pacti sint, detrimentum semper aliquod accepisse. Et rectè quidem ita judicant: Habet enim Gallia præstantissimos viros, ex iisq; novi non paucos, quibus rectissime committi posse maximarum rerum gubernatio: Quorum ex numero sunt illi ferè, qui diu multumq; & familiariter cum Ludovico Rege vixerunt. Hæc prudentissimus Cominæus & mox addit: Fui aliquanto prolixior in hoc argumento, ut ostenderem quemadmodum observari debeant exterorum Principum legati: sed non temere sum immomts. Multa enim sub eo prætextu, & ab aliis vidi fieri, & feci ipse aliquando callide, & insidiose, quamobrem silentio hæc præterire non potui. Principes vero cur per Legatos talia negotia confici opus habeant, causæ sunt & infinitas negotiorum Reip. aliorum, & crebri sinistri successus colloquiorum finiendi belli causa a Principibus susceptorum: Accedit metus periculorum, in quo Principes tunc versantur. Non debet a Princeps se & Rempubl. in casum dare: Tacit. l. 1. Annal. c. 47. Sed summæ Rerum & Imperii sese reservare. Tacit. l. 8. Hist. c. 33. Præsertim, cum fraus & dolus obscura sint, ideoq; inevitabilia. Tacit. l. 4. Hist. c. 24. Quâ de re dictum fuit Diff. 1. Illud præsertim observandum, si viribus & causa sit inferior; Hicenim providere debet secundum Cominæum l. 2. ut idoneis hominibus sua negotia committat, Ita Philippus Macedo, Tito Flamineo, Romanorum

Impe-

RATIONE TRACTANDI PACIS NEGOCIA.

7

Imperatore, jubente, ut in terram egrederetur, Ætolorum fidei se non credere respondit. Mirante Romano Imperatore & dicente, istud quidem par omnibus esse periculum & occasionem communem, errare eum Rex respondit, nam Phænea quidem sublato (is erat Ætolorum Legatus) non defore multos, qui Prætores Ætolorum sint futuri: Philippus, verò si periisset, neminem in præsentia esse, qui Mace- donum Rex foret. (b) Ut Princeps eò citius quid ab hoste postuletur, quid actum sit, &c. certior fiat, alioquin Pacis negocium diu protelabitur: Nisi mora nobis profu- tura videatur. (c) Plena mandata danda sunt ratione negotio- rum tractandorum, ut instructi sint ad omnia, quæ possint occurrere: Li- mitata tamen ratione concludendi, ne Legati pro lubitu & inconsultis Prin- cipibus suis concludant. Cujus rei perniciosum exemplum in Bello Gallo- Belgico A. M DCLXXII. exitit, quo Legatis Hollandicis plena ac libera po- testas transigendi cum Rege Galliæ permissa fuit: Wurd Krafft Vielheit der Stimmen dem Herrn de Groot so wohl als seinen Mit-Deputirten Vollmacht gegeben mit diesen Vorbehalt/daz die Sieben Provincien bey ihrer alten Freyheit / Recht / Religion / Privilegien ic. bleiben sollen / im übrigen war in der gedachten Resolution eine weitläufige Autorität und unbeschränkte Vollmacht verfasset. Verw Eur. p. III. f. 346. Cui ta- men non tantum Amstelodamentes è vestigio contradixere, sed ipsi Ordines Generales ejus indignitatem literis publicis aversati fuere: Daz es eine unerhörte Sache in der Regierung dieser Landen seyn / eine Vollmacht Deputirten und Abgeordneten zu geben / mit einigem Potentaten / viel weniger mit einem öffentlichen Feinde zu handeln / als nach gewisser In- struction bey den Bunds Genossen zuvor / mit einhelliger Bewilligung zu schliessen / und dasz diese wiedrige Art und Weise zu handeln sehr be- dendlich möchte gehalten werden / und Ihnen eine rechtmäßige Besor- gung gebe/daz die Feinde des Staats dadurch würden auffgefrißet werden/ denselben Abgeordneten und Gevollmächtigten solche Conditiones und Be- dingungen vorzuschlagen/darüber niemals kan noch mag gehandelt werden. Non est itaq; unius vel paucorum in arbitrium id conferen- dum, quod omnium Salutē concernit: Sicq; Romani plerum- que

que limitatam potestatem ducibus suis concederunt. (d) Et Philippus Austrius ex Hispaniâ in Flandriam redditurus, a Socero amplam Pacis cum Galliæ Rege Ludovico XII. conficiendæ, in quam dum in Hispaniâ fuit vehementer incubuerat, facultatem liberamq; potestatem obtinuit, verum duobus illorum Legatis ei adjunctis, sine quorum consilio nihil vel agi vel confici volebant. *Guicc.* l. 5. quamvis nunquam ferè adeò libera sint mandata, quin sibi Princeps mutandi nonnulla potestatem tribuant. (d) Sed si de æquitate alicujus constat, tunc non admodum hac urgendum. Insignis hâc de re historia est, ap. *Guicc.* l. 19. ubi Cæsar Carol. V. Francisco Sfortiæ, ut tutò ad se venire poscit, fidem publicam interposuerat: ipse autem statim, ubi Bononiam venit, se coram Cæsare sistens, ei de ipsius lenitate gratias egit, seq; illius æquitate tantoperè fretum esse dixit, ut nullam aliam cautionem præsidiumvè, quām propriam innocentiam, exoptarit. Idcircò se liberè fidei ab eo acceptæ renunciare dixit, ac simul literas, quas manu tenebat, ante Cæsarem project, quæ res ei fuit gratisima. (e) Sic Rex Ludovicus XII. Philippo Austrio præter fidem publicam nonnullos ex Summis Regni proceribus in Flandriam, tanquam obsides misit. *Guicc.* l. 5. Sed Philippus, quām primum Galliam attigit, ut se penitus ejus fidei committere ostenderet, Obsides liberari jussit. (f) Aliqvando commeantibus invicem nuntiis nihil in summâ Pacis proficitur, ut necesse sit colloqvio ipso-rum Principum tempus Locumq; destinari. *Tacit.* l. 13. *Annal.* c. 38. Disvadent & impediunt nonunquam ipsi Legati, neq; enim magnis meritis ac præmiis eundem in Pace, qui in Bello, locum norunt *Tacit.* l. 1. *Hist.* c. 5. Sed certæ cautions sunt necessariæ, quas ex Historiis colligas. Ludov. XII. Galliæ Rex interjecto sepimento colloquebatur cum Edvardo Anglo. In medio ponte fiebat cavea mediocri altitudine, & eâ am-

RATIONE TRACTANDI PACIS NEGOCIA.

9

(d) amplitudine , ut utrinq; duodeni confistere possent: ejus foramina eā magnitudine erant, ut brachium aliquis laxē insereret, eratq; in duas partes divisā, sic ut transitus in alterutrā partem nullus pateret; idq; ideo, quia olim transitu libero interfectus fuit Johannes Burgundus. Dum autem Reges colloquerentur, singuli quatuor destinārunt Inspectores eorū, quæ apud utrosq; exercitus gererentur. Plura legas ap. *Comin. l. 6.* Simile exemplum habes apud *Guicciard. l. 6.* Moris autem est, inquit *Guicc. l. 19.* ut, cum duo Principes convenire debent, qui dignitate antecellit, primus ad constitutum locum veniat: nam honoris loco habetur, ut inferior ad eum veniat. (h) Non tantūm propterea, quod unico secundo prælio efferantur sēpe animi, ut ea, quæ transacta sunt, rescindant, aut duriores ferant conditiones, de quo dictum fuit *Dissert. V.* Sed etiam, quod altera pars acceptā insigni clade irritetur magis, atq; à Pace alienior reddatur. Ita in *Coloniensi actione Anno 1579.* Legati Cæsarei, qui se pro Arbitris gerebant, instabant, ut ad præparandos in Pacis conditionibus accipiendis animos & acerbitates mitigandas, dum deliberaretur, Induciæ pangerentur, & conditiones, de Trajecto in Cæsar's manus confignando, ab Ordinibus oblatas maximè probabant; Sed Terranovanus nunquam adduci potuit, ut obsidionem intermitti pateretur: Unde secutā miseriabilis Urbis direptione non parum animi, quos clementiâ & benignitate potius conciliari oportebat, à Pacis rationibus alienati sunt. *Tbuan. l. 68.*

IV.

In ipsa actione Pacis regula quadam notanda : 1. Plerumque mora & cunctatio salutaris (a) 2. Interdum festinatio utilior (b.) 3. Eminus ostentato Bello hostis ad Pacem adigendus. (c) 4. Summo silentio retractanda (d). 5. Plus metuendum, quam confitendum (e). 6. Ad externos simul respiciendum (f).

B

Ut



(a) Ut cunctando hosti æquas conditiones extorqueamus, idq; potissimum, si hostis dolosè agat; vel si verendum ne alioquin iniquæ conditiones nobis sint accipiendæ, nam scelera impetu, bona consilia morâ valescere, inquit Titus Vennius ad Galbam ap. *Tac. l. 1. Hist. c. 32.* In festinationem ultum periculi: mora autem & cunctatio præclaras rei benè gerendæ rationes præbere solet: Sæpè igitur moræ insistendum, & capiendum in diem è re consilium, syadente ita Ne-mausensibus Clausonio ap. *Thuan. l. 23.* Aut si eventum specu-lari velimus hujus vel illius expeditionis. Ita Clemens VII. queritur, Cæfareum Legatum firmandæ amicitiæ causâ mis-sum, in Regno Galliæ diu hæsisse, ut si res ex voto Caroli cederent, Pontifex posthaberetur. *Goldast. Polit. Imp. p. 22 p. 989.* Idem Pontifex, antequam paëtis subscriberet, Regis Galliæ voluntatem explorare statuit. *Guicc. l. 16.* Sic Philippus II. ne-gotium Pacis studiosè distulit, ut interim, quorsum res An-glicæ evasuræ essent, videret. *Thuan. l. 20.* Nonnunquam in-terpositâ morâ voluntas hostium exploranda erit, quod au-tore *Cominæo l. 4. Hist.* commode fieri poterit, sæpiùs repetitis Legationibus. Fieri enim non poterit, quin aliquid odoren-tur Legati.

(b) Festinatio ob alias fines in Pacis ne-gotio interdum utilior, ut aliorum scilicet spes excludantur. Sic festinata & præcipitata fuit Pax inter Franciscum I. Galliæ, & inter Angliæ Regem, celebrata quoq; Spontalia inter Gal-lum & Angli sororem. Quæ cum vix confecta essent Indu-ciarum ab Cæfare confirmatarum tabulæ ad Regem Galliæ perferebantur, & sermones simul de novo matrimonio inji-ciebantur, quod negocium ob Pacem factam planè exclu-sum fuit. *Guicc. l. 12.* Nonnunquam spes citæ libertatis aut de-sperationis metus festinandum esse syadent. Hinc Prorex Lanojus protinus cum Francisco paciscendum esse putabat, quod Galliæ Proceres citæ Regis sui libertatis opinione pa-cati

RATIONE TRACTANDI PACIS NEGOCIA.

II

cati haec tenus & matri obsequentes fuerint, quâ spe deficiente facile fieri posse contendebat, ut Regnum commoveretur, statumq; mutaret. Sic nullam fore in illis Regis liberandi curam. *Guicciardini l. 16.* Quin diuturniore mora suspicandi ansam hostibus præbemus, quasi minus sincerè Pax à nobis expetatur. Ita Danici Legati cunctationis Hispanicæ insolentes multum questi de parum sincerâ fide Hispanorum ad suos sunt reversi. *Baud. l. 2. de Induc.* Molestissima quoq; diuturna Pacis expectatio: nullum unquam mortalibus tempus est longius, inquit *Polyb. l. 3. Hist. c. 103.* quam ubi expectatione futuri pendemus. Ita dum in Belgio negotiatio Pacis caleret, querebantur multi, dum suspensæ tenerentur hominum mentes, quorsum tandem lentum illud negotium evaderet, rarescere cuncta commercia, cessare penè omnia alia vitæ officia, & expectationem Pacis aperto Bello damno siorem, ideoq; tandem Ordinum Legati tædio tot morarum & tergiversationum simpliciter edicebant, nec ex dignitate Imperii, nec ex usu publico esse, ut animi semper in ambiguo hæreant suspensi expectatione rerum incertarum. Proinde aliquid esse statuendum in alterutram partem, idque ad summum intra Calendas Sextiles. *Baud. l. 2.* (c) Ostendas nempe esse tibi adhuc vires ambiguas, si deliberes, acres si desperaris. *Tac. l. 3. Hist. c. 60.* Nisi cum potentiori res sit, cuius animus placandus potius esse, quam ostentatis armis irritandus videatur: Exemplo Venetorum, qui Pacem cum Carolo V. habere cupientes, ne ejus animum magis irritarent, classem suam à Brundusiaë arcis oppugnatione Corcyram retraxerunt, ac solùm iis, quæ possidebant, tuendis operam dabant, *Guicciardini l. 19.* (d) monet *Comini l. 1.* ut Legati omnibus modis caveant, ne qvicquam efferant, quod vel alienationem animis, vel trepidationem excitare possit. Hinc in Colloquio Sureniano conventum, ut nihil de collationis actis, nisi ex partium consensu evulgaretur. *Thuan. l. 106.* (e) Nam si in alterutram

B 2

rutram



nutram partem peccandum sit, satius eit, etiè nimis timidum quam parùm prudentem. Nam in suo quemq; periculo fortè animum habere decet, ubi patriæ salus in dubium venit, magnanimus atq; constans civis censeri debet, qui plurimum eo nomine perturbatur. Confidentialia & securitas in talibus non caret suspicione imprudentiæ aut infidelitatis, *Baud. l. 2. de Ind.* Verùm timorem sana ratio moderetur communisq; utilitas, quæsitæ ex alto causæ suspicionum, ingeniosis enim hominibus & sinistris auguribus patet uberrima dicendi materia, cùm infidiosa Pacis mala commemorantur, hic lusciniæ nunquam deeſt cantio. *Idem.* Si n. scrupulosius suspicionum causas conquiramus, indicio id est, turbas nos malle quam quiete. (f.) Quo animo scil. illi sint, an Pace in Bellum velint, præsertim si vicini sint & socii: Cujus enim consilium potius se quaris, quam qui consilio etiam periculum suum adjecerunt?

V.

Ipsius colloqviæ actus primi & quasi proœmiales solent concernere usurpationem titulorum (a), ordinem sessionis, ordinem dicendi (b), & personas delegatorum (c).

(a) Cum enim plerumq; de Proprietatibus & Possessionibus Regnorum Bella gerantur, fit ut prima controversia plerumq; esse soleat de Titulis. Ita cùm Johannis Vaivodæ Legati eum coram Ferdinando Imperatore Regem appellarent & Titulo hoc abstinere præfractè nollent, tota actio impedita fuit. *Natalis Comes Hist. l. 12.* Verum Prudentiores Pacisq; amantiores hæc inania oblectamenta aliis facile concedunt, quemadmodum pueris dantur crepundia à blandis nutricibus, & contenti sunt, quod pignori insistant, vel reservato per Protestationem jure armis vel æqua Pace sua recuperandi spem habeant. Notabile est exemplum Regiorum Delegatorum in conventu Sureniano, qui cum augurarentur de Titulis primam fore controversiam, nullos fibi sumserunt Titulos, & ab adversæ Partis Delegatis petierunt, ut ipsi sua

sua tantum nomina sine Titulis, ne præjudicium alterutris
eā refieret, apponi contenti esent, quod & obtinuerunt. *Ibuan. l. 106.* (b) Uter scilicet dicendi initium facere debeat:
Ita in Colloquio inter Philippum Macedonem & T. Qvinctium
um instituto Romanus Imperator eum æqvum censebat pri-
orem loqui, qui colloquium petiisset; Rex verò eum, qui da-
ret Pacis leges, non acciperet. Tandem igitur Roman⁹ ex-
orsus est colloquium, Pacisq; tulit conditiones, sed hac in re
momenti parum. (c) An scilicet cum iis de hoc nego-
tio conferri debeat: Ita Henotici Rambulietum ad colloqui-
um admittere recusabant, quasi cædis Guifsi consultor aut
conscius fuisset; Sed cum in Delegatorum potestate hoc non
esse, adq; Regis defuncti injuriam pertinere, & à Rege im-
petrari hoc non posse responderetur, admissus est. *Ibuan. l. 106.*
Potissima verò Controversia solet esse de sufficientia Manda-
torum. Exhiberi enim solent Instrumenta Procuratoria,
q̄ib⁹ Delegatorum autoritas confirmanda, quarum clau-
fulæ diligenter excuti, & an sufficientia sint, debitoq; modo
subscripta, examinari debent, interdum enim alterius partis
mandata ampliora sunt, aliorum vero magis restricta, aliorū
tantum audiendi & referendi facultatem habent, qvæ ex Hi-
storiis pleniū cognosces, nonnunquam defectum mandato-
rum autoritas & dignatio Delegatorum supplet, ut spes sit o-
mne quodcunq; hi æqvum censuerint, à summâ potestate
confirmatum iri. Ubi insignis fraus occurrit Ludovici XI. R.
G. qui semper diversos à superioribus Legatos mittebat, ut si
qid illi promisissent, qvod servatum non esset, hi facilem ha-
berent excusandi rationem, ut qui aliorum pollicitationes
præstari non possint. *Comin. l. 8.*

VI.

Tandem Capita vel Conditiones à Delegatis omnibus (a) proponendæ,
ut vel accipiantur simpliter (b) vel de iis agatur. Proponuntur autem com-
modissimè simul & semel omnes, (c) debent a. omnes proponi perspicue. (d)

(a) Secus quam fecit Crassus, qui certa capita insciis collegis perscripsit, maximo, si in eâ conventum esset rei Belgicæ præjudicio. *Thuan.* l. 89. (b) Proponi autem solent hoc modo conditiones à victoribus. Victoriae namque ratio non redditur. *Tac.* l. 4. *Hist.* c. 14. Sic Scipio ad Carthaginensium Legatos ap. *Polyb.* l. 15. *Hist.* c. 17, non si quid, aut pati, inquit, aut facere, aut dare ipsis fuerit imperatum, durum hoc & grave illis debere videri; verum illud potius pro miraculo ipsis esse habendum, si quid benignius obtinerent, postquam eos fortuna omnis misericordia spe ac veniae à se destitutos propter ipsorum perfidiam in potestatem hostium tradidit. Sic Pacis conditiones Franciscum Sfortiam concernentes Caroli V. nomine Sveßanu Dux & Errera Pontifici offerebant, simul attestantes, in illis ne Syllabam quidem immutandi se potestatem habere. *Guicc.* l. 16. Deprecari tamen conditiones alter potest. Sic Anguivarii supplices nihil abnuendo veniam omnium accepere. *Tac.* l. 2. *Annal.* c. 22. Ita enim Romanis placitum, quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum. *Tib.* ap. *Tac.* l. 12. *Annal.* c. 20. Cavendum tamen ne periculum sit ex misericordia, ut loquuntur quidam ad Vitellium ap. *Tac.* l. 3. *Hist.* c. 66. Tum enim satius est desperatione in audaciam, in quâ una spes salutis, accingi, quia moriendum victis, moriendum deditis, & id solum refert, novissimum Spiritum per ludibrium & contumelias effundas, an per Virtutem. (c) Id cupiebant delegati ordinum scilicet, ut omnia quæ in eo tractatu disceptanda erant, simili & semel proponerentur; Ita enim uno quasi aspectu intueri licet, quinam sint limites mandatorum, circa quos versatur omnis deliberatio, praesertim cum hac in parte par utriusq; partis ratio sit, nec aliud huic contractui magis aduersetur, quam celare quidpiam, quod adversariorum intersit non ignorari. Quamvis autem hoc novum & inusitatum videretur Legatis Archiducum dicentibus, hanc esse velut ordinariam praxin in ejusmodi negotiis, ut singuli articuli particulatim excutiendi proponantur, comperta tamen Postulati æquitate in eandem sententiam concederunt *Baud.* l. 2. (d) Quid enim simplici huic negotio magis convenit quam simplicitas, ut sine ullo fuso mente quisq; suam perspicuè indicet, ne cavillis locus relinquatur? Malè itaq; Archiducum Legati septem tantū articulos sermone parcus atq; explicatu difficillimos proponebant. *Baud.* l. 1.

VII.

De ipsis postea conditionibus disceptatio ex jure potissimum & equo (a) instituitur, ubi si postulari alterius aequitas liquido appareat, recte faciet alter, si persuaderi sibi petiti alterius aequitatem patiatur (b) si causa dubia sit & tamen alter Pacis causâ cedat, compensatio in alio postulari potest. (c)

[a] Quisq;

(a) Qvisq; enim causæ suæ justitiam obtendit, quæ illi, qui articulum aliquem proponit, demonstranda est ex Jure Divino, Naturali, Gentium, & Civili Romano, qvod licet non obliget summas Potestates extra Imperium Romanum, ejus tamen apud plerasq; gentes, Europæas præsertim, maxima merito est autoritas, & in his, qvæ juris Gentium sunt, pro jure Gentium à non-nullis receptum esse videtur. Nonnunquam tamen ex aliis etiam capitibus argumenta sua forte depromenda, v. g. si demonstretur, hoc ipsum qvod petimus, non justum modo, sed & hosti utile fore. (b) Justitia enim stabiliuntur Regna, qvæ unicuiq; suum tribuere jubet, cui non obseqvimur, si metu Belli ad iniqvas aliquem conditiones adigamus, atq; ita jure ipsum suo privemus. (c) Ita cum Archiducum Legati permisissent abdicationem jurium, qvæ Archiduces in Provinciis habuissent, significabant simul id eâ spe fieri, ut Ordines tali indulgentia devincti faciliores fese præberent ad ea concedenda, qvæ Archiducibus vehementer esse cordi animadverterent. Qvamvis enim renunciatione istâ nihil tribueretur Ordinibus præter id, cujus possessionem antea tot periculis ac laboribus erant adepti, nemo tamen, Regii moris intelligens, credere poterat gratis ista fieri, sed magno constituta, &c. Baud. l. 2.

VIII.

Si neuter cedere velit, res cum Arbitris communicanda (a) media via invenienda (b) referendum ad Summas Potestates (c) aut si iniquum nimis postulatum sit, non perendum in Colloqvio (d) aut seponendus est iste articulus atq; interim de aliis agendum (e) aut planè indecisus relinquendus (f) aut de eo compromittendum (g) aut si ne sic quidem partes conveniri possint, utrig; parti conditiones ab Arbitris proponendæ sunt. (h)

(a) Exemplo Ordinum Belgii, qui cum in instaurationem Romanæ Religionis, qvam obstinate urgebant Archiduces, consentire non possent, cum Legatis Principum rem communicârunt. Idq; propterea faciendum, ut quicunq; sit tractatum exitus, amici, quibus hâc ratione causæ nostræ merita innotescunt, in foedere constantes permaneant. (b) Ita ut neutra pars se nimis gravatam conqueri possit; Fieri enim potest, ut utraq; pars jus aliquod prætendat aut habeat, ubi media via erit tutissima. (c) Cum enim fines mandatorum egredi non debeant Legati, & multa sæpè in ipso Pacis tractatu incident, de quibus antea ne cogitatum quidem, Principisq; voluntas sæpè sit mutabilis, & spes concepta plerumq; nos frustretur; Ideò sæpius Principem de actis certiorem facere debent, idq; vel per literas, vel [quod commodius est, nisi itinerum pericula hoc dissuadeant] per aliquem ex Legatis, qui privatim audiendus erit, præsertim, mo-

nente

rente hoc Comin. l. i. Hist. si minus jucunda renunciaverit, ne ea metum ingerant multitudini. (d) Ita Ordinum Delegati animadversa summa adversariorum oblatione scripto testabantur, non videri è republ., ut in instituta negotiatione longius procedatur, idcirco colloquium esse dissolvendum. (e) De negocio Indicæ Navigationis antea dictum est, quod cum tanta difficultas circumstaret, ut nullo modo resexitum habitura videretur, Legati Regis & Archiducum significabant, se amplius circa illud negotium deliberaturos, & postulabant, ut interim de aliis articulis consultatio iniaretur, ne frustra tam solennis actio instituta videretur, Baud. l. 2 de Ind. quamvis ad hoc etiam proposit talis negotii dubii suspensio, ut quæ de aliis capitibus adversariorū mens sit, & an fidē Pacis ulla spes sit, certius explorari queat. (f) Exemplo Transactionis Polonicæ inter Sigismundum & Proceres, ubi cum de Livoniæ parte, quam Sigismundi parente nenebat, conveniri non posset, ed tandem res deducta est, ut negotium illud integrum in id tempus differretur, cum Regnum legitima successione ad Sigismundum devolutum esset. Thuan. l. 88. Habent n. tales dilationes hoc commodi, quod utriusq; partis existimationi hoc modo consulatur, & occasionses interim commodissimæ sese offerre possint, quib⁹ res ad exitum felicius deduci possit. (g) Sic in Pace inter Daniæ & Sveciæ Regem A. 1570. pacta cōventum, ut tria Coronarum insignia, quæ uterq; Rex pro suis vindicet, utriq; usurpare fas sit, dum lis Cæsaris Saxonici & Brandenb. Electorum, &c. in quos partes compromittere teneantur, arbitrio decidatur. Thuan. l. 47. (h) Exemplo saepius citatae actionis Belgicæ: nam cum partes inter se convenire nullo modo posse, conditionum formulam ipsi conceperunt. Regum Legati, quam primo Ordinibus obtulerunt, petentes ut illis acquiesceret, non gravarentur, qui cum consilio non amplius movendo super ea re constituisserent, petierunt ut & adversarii decretoriam mentis voluntatem simpliciter int̄dicarent, nisi suspicandi an-
sam præbere vellent, hoc agi, ut sedendo consultandoque tantum tempus extraha-
tur.

IX.

*Conclusa pæcta à Principe (a) aut à Republica (b) confirmanda & in scri-
pturam redigenda (c) quod & certis adhibitis ceremoniis fieri solebat. (d)*

(a) Quod fieri solet vel solenni juramento, vel etiam Sacramento Corporis & Sanguinis Dominici, vel Subscriptione &c. (b) In Republ. seu Procerum & Populi Imperio confirmatio à majore parte sufficit, quæ etiam eos qui aliter senserunt, obligat, iisdem & volentibus prodest. Grot. J. B. III. XX. §. 4. (c) Quamvis nisi aliud convenerit, scriptura non ut substantiæ pars, sed ut monumentum contractus adhiberi videatur. Grot. J. B. III. XVI. §. 30. Alioquin id exprimi solet, ut in Indic. cum Nabide: ex qua die descriptæ conditiones editæ forent Liv. l. i. c. 34. (d) Romanorum feiales sagmine aut verbena, herba pura sacraq; coronati, sumptoq; secum Sceptro Jovis, per quod jurarent, leges Fœderis recitabant, & porcum silice percutiebant, cuius mortem illi optabant, qui prior à Fœdere resiliisset: aut lapidem projiciebant, hoc addito voto, ut ille qui sciens falleret, ita concideret, sicut lapis è manibus decidebat, confer Valtrinum l. 6. de re militari Rom. c. II.

X. Datur autem Pax non tantum expresse (a) verum etiam tacite. (b)

(a) De qua ratione Pacem feriendi hactenus dictum. (b) Cardin. Mantic. l. 27. de tacitis & ambiguis conventionibus Tit. 3. n. 16,

ULB Halle
002 628 52X

3



VDM

56



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
1	2	3	4	5	6	7	8	9
Centimetres								
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8
	1	2	3	4	5	6	7	8